

Vibig, aetrum p[ro]f[essor]is, per legem Romanam in Germania sit receptam

EXERCITATIO IVRIDICA
QVAESTIONEM CONTINENS 2031
VTRVM IVS ROMANVM PER LEGEM PUBLICAM
IN GERMANIA SIT RECEPTVM

1768.59.

24

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTIS B. CAPIT.

CVRIA IN PROVINCIA SUPREMAE, IVDIC. LVSAT.

INFERIOR. NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS.

ET ACADEM. DECEMVIR.

IN AUDITORIO ICTORVM

D. XXX. IANVAR. A. CIC[erone] CCLXVIII

D E F E N D E T

AVCTOR

CHRISTIANVS GOTTHOLD VIBIG

ZSCHOPAVIA MISNICVS

LIPSIAE

EX OFFICINA LOEPERIA

ANNO MDCCLXV
RATIOPHILIA
LUDVICO ALBERTO
COPERTA
165
TITULUS
ANTONIO GIOVANNI LORENZO MARZOLINO
EX LIBRIS J. V. L. S.



Q. D. B. V

§. I

Cest inter legum peritos inueterata opinio, a Maximiliano I. Imperatore, in comitiis Vormatiensibus a. Ch. 1495. pace publica restaurata, ius quoque ciuile Romanum et canonicum publice fuisse receptum. Primus, quod nos quidem scimus, partu infelicissimo eam protulit CHRISTOPH. LEHMANNVS, qui praeter DATTIVM, HEINECCIVM, CHRIST. THOMASIVM, aliasque, tot secessores et laudatores consecutus est, vt in omnibus fere ICTorum scriptis publica ista receptio repetiatur, et in scholis eorum adhuc vigeat. Exorti tamen sunt nonnulli, in his SAMVEL BRVNQUELLVS et REINKINGIVS, qui, quum documenta eius rei, chartas et diplomata publica, in tabellaris Germaniae publicis frumentis quaesivissent, de veritate istius opinionis dubitare auderent: attamen quod in constitutione et ordinatione iudicij cameralis, sic dicti, ius Romanum, vt vulgo interpretantur, saepius laudatur das *Kayser-Recht*, id multum creavit ipsis molestiae. Alii denique iisque, de nostra quidem sententia, multo prudentiores istis, re diligenter considerata, de publica, sed tacita, non vero diserta, receptione cogi-

A 2

cogitare coeperunt. Quorum in numero nostra aetate prae aliis eminet *illustris SENKENBERGIVS*, qui primus de Maximiliani I. receptione iuris Romani nos meliora edocere, et, vt distant aera lupinis, vera a falsis diagnose studuit. Quam illius opinionem de iure Romano in Germania per legem publicam nunquam recepto, cum nobis per vitae nostrae rationem aliquod publicum documentum studiorum nostrorum esset edendum, arripiimus, et de tacita eius receptione pro viribus quaedam differere apud nos constituimus.

§. II

Antequam vero ad rem ipsam accedamus, vt fata atque incrementa iuris Latii ante tempora Maximiliani I. paucis persequamur, necesse esse videtur. Sunt homines docti, qui, licet clarior lux nostro saeculo affulserit, vehementer tamen contendant, Lotharium III. Imperatorem ius Romanum in Germania introduxisse, ita vt ab illo demum tempore colluquies ista peregrini iuris spiritum quasi patrium et sanguinem acceperit. Sed nubecula haec iam ab aliis, in primis ab *Heineccio* et eius diuite commentatore, *Siberradio*, a) depulsa est, argumentis desuntis ex chartis veterum, historia et annalium rerum monumentis, quae omnia ius Romanum iam ante Lotharium viguisse probant. Ferunt quotidie, Amalphitana in vrbe pandectarum, quas deinde Florentinas dixerunt, codicem esse repertum Imperatore Lothario a. 1137. id quod *Brenckmannus* b) et omnes fere commentatores et hist. iur. rom. scriptores sedulo affirmant. Sed rem longe aliter se habere, facile doceri potest ex eo, quod vestigia iuris Romani, non solum in Italia, verum etiam in nostro Germaniae solo usurpati, reperiuntur non pauca, c) Lothario Imperatore antiquiora. Ad imperium enim ille peruenit a. 1125. mense Sept. res autem Italicas s. expeditionem Romanam perfecit a. 1131. d) Iam vero vestigia iuris Romani et ea luce meridiana

a) Part. II. Hist. Iur. §. 56.

b) In histor. Pandectarum, Florentinarum et adl. Tract. de Amalphi capitulo.

c) conf. *Mathaei* in *Analect. Med. aeui* Tom. IX. qui summo studio ex antiquis membranulis, iuris Romani vestigia edidit.d) conf. *Albericus* in *Chronico ad annum 1125*.

diana clariora deprehendes apud VGHELLVM in Italia sacra, vbi profitetur
 VMBERTVS quidam, Comes Sabaudiae, se viuere velle LEGE ROMANA. e)
 Idem vero ex historia imperii patet; Mathildae f) enim, vxoris Velphi,
 ducis Baiuvariorum, iussu atque mandato decantatus ifse Wernerius,
 siue Irnerius, leges Romanas, quas antea blattis certabant ac tineis, in
 forum reuocauit auctore Abbatte Vspergens: g) Mathildam autem
 a. 1115. adeoque iam ante annum coronationis Lotharii in Italia ex
 viuis deceſſisse, quis est, quem fugiat? Quod si verum est, nullo ne-
 gotio exinde cogitur, ius Romanum iam ante tempora Lotharii in Ger-
 mania extitisse. Fallitur ergo CHPH. LEHMANNVS, h) fallitur etiam,
 quod miramur, IO. SCHILTERVS, i) qui iuris Romani fautores
 strenue defendunt, illud iam saeculo X. in Germania viguisse; eius-
 que auctoritatem per leges regias, puta Capitularia Francorum, con-
 firmatam fuisse. Sed quis est, quin intelligat pruritum extollendi ius
 Romanum, cum apud Baluzium, k) hominem egregie cordatum, ne vnum
 quidem vestigium illius confirmationis reperiatur? Rem vberius expli-
 cabimus. Habet quidem Antonius Mathaei l) chartas veterum et

A 3 diplo.

e) Inuit totum EX VGHELLO in Ital. sacra Tom. IV. p. 1043. hic adponere
 locum Vmbertus siue Unibertus II. vel Guibertus, ita in diuersis locis
 anno 1089. scripsus, referunt ab codice Baldassano, qui addit ab eo con-
 firmatam donationem, a Caniberto factam Vticensi Ecclesiae, excilente
 Nantelino praeposito. Quo anno Vmbertus, filius Amodei, Adelaidis
 nepos, sequentem donationem fecit Pinaroleni Ecclesiae, ditergo a pree-
 inserto stylo, quod Romana lege viuere profiteretur; ita in monumento
 eiusdem Pinaroleni habetur: „Anno ab Incarnatione D. N. I. C. 1098.
 3. Kal. Decembr. Indict. 6. monasterio Dei atque intemeratae Virginis in
 loco, qui Pinarolius vocatur, sito, in quo nunc Dominus Venerabilis
 Abbas Vbertus praesesse dignoscitur. Ego Vbertus comes, filius quondam
 Amodei, qui professus sum lege viuere Romana, oblator, donator in eo-
 dem monasterio, proque dixi etc. ,,

f) cf. Leibnitius in Script. Rer. Germ. Tom. I. p. 629.

g) In Chron. p. 291.

h) In Chron. Spirens. Lib. IV. c. 21.

i) In Diff. de uestitura princip. Imper. simultan. §. 2.

k) In Capitular. Reg. Francor.

l) In lib. cit.

diplomata, in quibus vestigia iuris Romani inveniantur, sed res ita se habet: Fuit olim auctoritas iuris Romani magna in Gallia, id quod de nonnullis capitibus probant scriptores Francici, lex Salica et Capitularia RR. Francorum, Marculphi formulae et scriptores coaeui, v. g. *Fredegarius m)* et *Gregorius Thuronens.* Fuit quoque nonnullis legibus Romanis auctoritas quaedam apud Longobardos, Ostrogothos, Baiuarios et Burgundiones; id quod ex ipsis legibus eorum videre licet. In nostra vero Germania iuris Romani, exceptis legibus allegatis, clariora vestigia reperiuntur saeculo XII. Age vero! ipsam rem documento et diplomate aliquo illustrabimus.

§. III

In Germania igitur, vti nobis videtur, primum vestigium iuris Romani, ad quod prouocatur, in dicasteriis et tribunalibus appareat Imperatore Friderico I. qui litem inter tres fratres ortam per singulare diploma decidit eosque interrogavit, qua lege viuere vellet, Salica lege, an iure Graeco? a) In quo diplomate ius Graecum nihil aliud significat, quam ius Romanum, quia ius Graecum, i. e. Byzantium, ex hoc compilatum erat. In Italia plurima adsunt huius rei documenta de Friderico I. Imperatore, et lepida narratur historiola de Imperatore et Glossatoribus; sed haec aliis curae sunt. Vel ex his, opinor, liquet, (plura enim proferre non patitur noster libellus) iam Imperatore Friderico I. tacite ius Romanum introductum fuisse. Iam vero illis temporibus positum erat in more, vt omnes nobiles vel milites, qui feuda ab Imperatore aut Principibus, Dynastis, Comitibus habebant, expeditionem, ita dictam, Romanam in se suscepissent; qui mos etiam sequentibus temporibus obtinuit. Porro Friderici I. aeuo largior messis erat et vberior prouentus Glossatorum, qui in Italiae academiis nil aliud nisi iura Romana hirsuto more et inuita Minerua docebant. b) In Italiam autem

m) Apud *du Clesne* in Corp. Scriptor. Francic.

a) cf. *Menkenii Scriptor. Rer. Germ. Tom. II.* et *Schoettgen* in vita Comradi M. Marchionis Miñ.

b) cf. *Guido Pancirollus* de claris LL. interpretibus,

autem aduolabat spes patriae, Germana iuuentus, vt miles ab Imperatore ad expeditionem Romanam conuocatus; manebat in campis Roncaliensibus Italiae et reliquis ciuitatibus, in primis Bononiae, per tres, quatuor et, quod excurrit, annos; redux in patriam admouebatur more Patrio tribunalibus, vulgo dictis *Düngföhlen*, *Düngbanken*; Hinc igitur factum est, vt isti nobiles, vt iudices et scabini, iure Italico atque Romano innutriti, in decidendis causis ciuilibus, iura Romana atque Italica sequerentur, et gratia nouitatis decepti, peregrinis iuribus magis vterentur, quam patriis moribus et consuetudinibus Germanicis. Cui malo vt mederentur, cogitarunt post longum temporis spatium nonnulli de emendando restaurandoque iure patrio, ita vt moribus legibusque peregrinis nuncium remitterent, easque solum mutare iubarent. Quae ipsa ratio, nempe vt leges Germanorum ex ista colluvie iuris Romani atque canonici restituerentur *integrae*, etiam *Epkonem* illum de *Repkau*, hominem immortalis gloriae, ad Speculum Saxonum conscribendum impulit.

§. IV

Licet vero Epko in gratiam iuris patrii a. 1232. et sequenti confecerit Speculum Saxonum, quod ex historiarum et annalium rerum monumentis negari nunquam potest; fuit tamen aetas, qua Friderici II. Imperatoris mors et successorum regni plurimum contulerit ad destruendas leges patrias et consuetudines, longa annorum serie receptas et per capitulationes regias confirmatas. Omnes quidem in eo consentiunt, a. 1441. Fridericum III. Imperatorem legem scripsisse de iure Romano plane tollendo. Profert Goldastus a) constitutionem, in comitiis Moguntinis a Friderico III. exhibitam, in qua Art. V. caueatur, ne in posterum in iudicii et tribunalibus ius Romanum et caussatum patroni adhibeantur. b) Quae sequuntur in ista constitutione, nimis

a) Part. I. der Reichs-Satzungen, p. 166.

b) Non dubitamus integrum locum ex Goldasto hic ponere: Dass alle Döres der Rechten, sie sind geistlich oder weltlich, im H. Röm. Reiche Teutscher Nation sollen nach laut der fürgenommenen Reformation an keinem Gericht, bey keinen Rechten, auch in keines Fürsten oder andern Rä-

mis atrocia sunt in interpretes iuris, qui floruerunt temporibus Friderici III. c) neque id mirum, quum Germania omni aeuo caussarum patronos odio habuerit. Conspirat praeterea cum hac constitutione diploma vel charta antiqua apud *Haltauſum*, d) vbi aliquis gloriatur, se ex legitimo matrimonio, h. e. ex lege Germanorum inito, esse natum, non vero a parentibus infamibus aut caußarum patronis. e)

§. V

Attingamus iam Maximiliani I. tempora, filii patri Friderico III. non dissimilis, et facile erit intellectu, neque ab hoc ius Romanum simul cum canonico per legem in imperio Germanico esse receptum. Age! recensemus scriptores, qui fata Maximiliani I. descripserunt. In his in primis eminet 10. MÜLLERVS in *Reichstags-Theatro* inde ab an. 1486. usque ad an. 1500. item encomiates ille Maximiliani I. nobilis DE FUGER in *Ehrenspiegel*, eiusque continuator SIGISMUND VON BVRKEN in *Spiegel der Ehren des Hauses Oesterreich*, qui liber prodit Noribergae a. 1668. in fol. et in primis BEATVS RHENANVS in rerum Germanicarum libro. Sed hi omnes de illa fabula silent. Quid? quod filet ipsa constitutio Imperatoris, quae dicitur

eben mehr gelitten, sondern ganz abgerhan werden; Sie sollen auch fürbas bin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden, schreiben oder Rath geben.
cf. Pütter in hifter, Imper. in vita Friderici III.

c) Verba ita sonant: *Wenn ihnen das Recht härter, denn den Leyen verschlossen ist, und kann ihrer keiner keinen Schlüssel dazu finden, bis beide Theile arm worden oder gar verdorben sind. Aber der Ley behält doch den Schlüssel zum Rechten bey ihm, dass man zu ziemlicher Zeit das Recht berfürbringen mag.* Aus dieser Ursachen kan man die Gelehrten (i. e. caußarum patronos) in keinen Rechten mehr leiden. Dazu seynd es nur besoldte Knechte und nicht Erbdienner des Rechtens, — Stießväter, und nicht die rechten Erben des Rechten.

d) In Gleſſario Germanico, voce *Fürſprecher*. — *Dass er nicht wäre uneblicher und infanier Geburth, als Schweinschneider, Pfeiffer, Seckler und Fürſprecher*, i. e. vti *Haltauſum* interpretatur, *Advocatus*.

e) cf. quoque Florus Lib. IV. c. XII. Heineccius in Syntag. Iur. Germ. Idem in Diff. de iurisdictione patrimoniali c. I.

tur ordinatio iudicij cameralis de a. 1495. qua pax publica Imperatoris iussu declarata est. Longe lateque de ista ordinatione camerali disputat *Dattius*, a) omnique studio defensorem agit *Chrifph. Lehmanni* opinionis, a Maximiliano I. in his comitiis Vormatiensibus ius quoque Romanum in Germania fuisse receptum. Sed quis est, qui vnde quidem in Archico Imperiali aut illud ipsum Maximiliani diploma, aut apographum eius? Cui, inquam, tale aliquid in tabellariis Germaniae publicis oculis usurpare licuit? Nullus certe mortalium adhuc in laterculo aliquo Imperiali reperit vel vnum huius receptionis vestigium. Ipse vir illustris *Senkenbergius* et alii, quibus ius Romanum omnisque Latii cultus curae cordique est, anxie id circumspexerunt; sed frustra. Defendit quidem *Dattius* l. c. *Lehmannum*, qui formulam iudicij laudati de iudicibus et affessoribus a. 1495. praescriptam in Archiuo Spirensi se repperisse ait, sed surdis narrat fabulam. b) Nam quis quaeſo ex isto loco *Lehmanni*, in margine adducto, colligere possit, a Maximiliano ius Romanum esse receptum? Cur tandem non profert ille ipsam Imperatoris legem? quare omnes omnino biographi Maximiliani I. tam altum silentum tenent? Cur ipse laudatus heros tale factum in inclito libro, vulgo *Deyer dank* dicto, c) non prodidit? Accedit et illud, quod, si mores animunque Maximiliani I. tibi exploratum habes, non ignorabis, eum fuisse a iure Romano valde alienum, imo sola iura patria ad exemplum Friderici III. patris in deliciis habuisse. Argumentum huius rei nobis suppediat non leue scriptor ille coaevus *Beatus Rhenanus*, d) qui tradit, Maximilia-

a) Lib. IV. c. I. de pace publica.

b) Profert *Lehmannus* Lib. IV. cap. 21. Chron. Spirens. haec: *Es sey in keiner Historie zu finden, dass ein Kayser oder König dieselben alten Gesetze und Rechte der Teutschen abgeschaffet, oder andere Rechte an dero statt anzunehmen geboten, bis bey Aufrichtung des Kayſerlichen Cammergerichts die Kayser, Fürſten und Stände des Reichs, nach denen gemeinen beschriebenen Römischen Rechten alle bürgerliche Streit und Rechtsfächen zu entscheiden übernommen und verabschiedet.*

c) cf. *Dav. Köbler* de libr. poetic. vulgo *Deyer dank*.

d) In Reb. Germanic. edit. Basiliensi. p. m. 202.

milianum I. praeemiis suos (i.e. aulicos eruditos) incitasse ad quaerenda diplomata, quae quingentis ante annis vernacula lingua essent conscripta. Tanti igitur fecit Maximilianus I. res patrias, ita, ut ipse *Fuggerus l. c.* nec ullum quidem vestigium Imperatoris, iuri Romano fauentis, deprehendere potuerit. Quodsi vero Maximilianus I. iura ista peregrina ciuitate donasset, num quaeo credibile est, scriptores coaeuos, et eos omnes, rem tam maxime memorabilem silentio praeterisse? Quid nostris temporibus fieret, si princeps aliquis, neglectis moribus maiorum, legem inusitatam et plane peregrinam in suis terris recipet?

§. VI

Nec desunt alia huius rei argumenta. Si enim ius Romanum per legem a Maximiliano I. fuisse introductum, non solum eius auctoritas atque usus in academiis, verum etiam, quod primarium est et maximum, in foris et tribunalibus obtinuerit. Quis enim est, qui inficias ire audeat, leges ab Imperatore promulgatas non suis tantum, sed etiam sequentibus temporibus, in viuero nostro imperio valere, et ab omnibus tribunalibus assimi debere? Iam videamus, an idem acciderit illo aeo, quo vniuersalis receptio iuris Romani decantatur. Non quidem negamus, illius usum in academiis et auditoriis viguisse, quod infra ulterius docebitur: hoc enim gloriae captandae causa et novitatis studio factum est; sed quis in monumentis historiarum illius aevi tam peregrinus, qui idem de summis tribunalibus et praetoriis affirmet? Supra iam dictum est, in summis praetoriis, v. g. Magdeburgico,^{a)} iam medio aevo patris tantum mores, confuetudines Germanorum vniuersales et iura statutaria, vulgo *Willkühr* dicta, valuisse; quod etiam obtinuit post tempora Maximiliani I. et Caroli V: imo in nonnullis iudiciis, in primis scabinibus et praetoriis minoribus, (*Düngstühlen*,)^{b)} Scabini in nostra adhuc memoria luce meridiana clarius adparet ^{b)}. Scabini in primis

^{a)} cf. *Sagittarius de Praetorio Magdeburgico*.

^{b)} Nemo melius hoc explicat, quam C. D. Klüngler in Dorff- und Bauern-Recht. Adde quoque *Riccius von Stadt-Gesetzen, et Heumannus de iuribus statutariis*,

primis resistebant iuri Romano et omni peregrino, vniuersitate auxilium petentes in respondendo a patriis legibus ac Speculis, Saxonico et Suevico. Egregium exemplum praebet Scabinatus Lipsiensis, eiusque sententiae publicatae fine saeculi XV. et sequenti tempore, quas omni studio allegat ex MSpitis omni fere pagina *Hallaustus c)*, iuris patrii olim assidius scrutator. In illis autem sententiis et responsis, eo tempore datis, vbi iura Romana iam in hac academia a Petro Loriotto d), *Wesenbergio*, aliisque iuris Romani interpretibus docebantur, nullum vestigium huius peregrini iuris, sed potius candidam iuris patrii simplicitatem reperies. Refert historia Saxonica, *Augustum I. Electorem*, patrem patriae, conuocasse doctores, ut effata ederent, et ut viri consultissimi decernerent, quo iure in foris et tribunalibus in causis decidendis esset vtendum. Sed fata in hisce terris iuri Romano erant benigniora, quam iuri patrio, idque, nisi me omnia fallunt, ex ea ratione, quia ad hoc concilium iuris Romani tantum interpretes adhibebantur, non vero scabini. En! argumentum vltiori disquisitione dignum, Augusti I. Electoris temporibus, longo aevo post Maximilianum I. iura Romana in hisce terris Imperatoria lege et publica auctoritate nondum fuisse recepta. Et quod a nobis dictum est de scabinis Lipsiensibus, obtinuit quoque in aliis praetoriis et adhuc obtinet, ita, ut ibi magis patria iura valeant, quam Romana.

§. VII

Sunt vero non pauci, ut supra iam diximus, qui cum Lehmanno in primis ex verbis ordinationis cameralis, quae a Dattio a) exhibetur, cogi posse contendant, ius illud Romanum lege fuisse receptum. Primum argumentum defumunt ex iuramento affessorum et iudicium in camera Imperiali, quod reperitur in capite: *von des Richters und Beyfitzer-Eyde*. Nonnulla ex iure Romano illud, fateor, continet; sed quis ex eo colligat, totum ius Romanum ab Imperatore ciuitate esse donatum? Scimus, ut hoc vtar, in Anglia aliisque provinciis iura Ro-

B 2

mana

c) In Glossario Germanico.

d) Fata huius viri, ex schola Cuiaciana in hanc academiam adducti, recentet Chr. Thomafius in notis ad Melchior. Offae testamentum.

e) Lib. IV. c. 1, de pace publica.

mana fuisse abrogata, ita vt non solum in tribunalibus, verum etiam in academiis huius iuris ne vllus quidem vsus hodie adpareat; id quod diserte docet Arthur Duck b). Et tamen nonnulla capita in ipsis legisbus Anglicis inveniuntur, quae cum Latii iure conspirant. Iam vero tu propterea affirmare audeas, iura Romana in Britanniae regno esse recepta? Supersedemus plura eiusmodi exempla, v. g. Suecorum et aliorum, afferre, cum nobis sit brevitat[i] studendum, Aliud porro argumentum interpretibus illis suppeditant, vt ipsis videntur, verba illa, quibus in ordinatione illa camerale saepius allegatur: *das Kayser-Recht*, *das Kayserliche hergebrachte Recht*; vti in nonnullis aliis quoque constitutionibus Maximiliani I. eiusque decessorum provocatur *auf das Kayserliche Gesetz-Buch et auf die allgemeinen geschriebenen Kayserlichen Rechte*. Quae omnia magno studio ad suam rem trahere laborat Datius l. c. sed chartas et diplomata si confulueris, facile intelliges, illa verba longe alter explicari posse et debere. Verba enim illa: *das gemeine Recht* in medii aevi monumentis nihil aliud significare videntur, quam mores veterum Germanorum et Speculum Saxonicum et Sueicum, quae vnamini consensu in omnibus Germaniae terris patriam sedemque fixam acceperunt, ideoque *iura communia* nominantur c). Alia deinde interpretatio nobis adsumenda videtur illorum verborum: *nach gemeinsenen Kayserlichen Rechten*. Nam in his non posse intelligi iura Romana, patet ex eo, quod ius Romanum medii aevi temporibus in plurimis Germaniae regionibus plane ignorabatur, etiamsi in nonnullis chartis et diplomatis citatur. Audit autem latine *ius Graecum, Romanum et lex Romana*, germanice vere *das Roemische Gesetz-Buch et das Roemische Recht*, omisso vocabulo *allgemeine*. Per ista verba igitur intelligimus potius constitutiones Imperatorum publicas, leges fundamentales et recessus Imperii in vniuersa Germania valentes; qua de re saepius quoque additur formula: *nach des Reichs gemeinsen und Kayserlichen Rechten*, quod in ipsis constitutionibus apud Goldastum d) vtraque pagina legitur. Ex his igitur, quae a nobis adhuc prolatas sunt, tamquam

ex

b) De vnu, praestantia et auctoritate Iur. Civ.

c) vid. *Haltius* in Tract. de Iur. publ. certo ex diplomatibus.

d) In Reichs-Satzungen et in omnibus LL. Imperial. Corp., Iur. Publ. interfusi.

ex fonte vberiori, manat, frivolam esse et maxime ruinosam eorum sententiam, qui ex allegatis verbis receptionem, per legem publicam factam, extorquere velint.

§. VIII

Alii, v. g. Hermannus Conringius, a) existimarent; in summis tantum imperii tribunalibus id fuisse receptum. Sed iis, quae iam supra attigimus, etiam haec opinio facile refellitur. Plerique tamen I^ctorum, tamquam certissimo et firmissimo suae opinionis fulcro, nuntiunt verbis, quae in ordinatione iudicij aulici leguntur: *Dafs das Corpus iuris civilis und canonici allezeit auf der Reichs-Hofraths-Tafel seyn solle, damit man sich daffelben gebrauchen koenne.* Nos vero valde dubitamus, an ex hisce verbis ista opinio repeti possit atque probari; cum ea, quae in hac constitutione dicta sunt, nullo modo pro legibus, sed tantum pro monitis atque consiliis habenda sint. Praeterea ius Romanum mere civilia continet, ad nostrum statum, id quod infra docturi sumus, nihil pertinentia; in comitiis contra illis aulicis, res publicas maxime tractantur, ad quas decidendas meliora adiumenta, scilicet leges imperii fundamentales. Accedit et hoc, quod ipsi assertores huius iudicij aulici hanc ipsam doctorum quorundam opinionem mere frivolam existimant. In primis *illystris Senkenbergius* nobiscum consentit, qui docet, frustra in Archivio vestigia constitutionis publicae de iure Romano recepto esse quaefita; ex verbis autem allegatis constitutioonis iudicij aulici plane nihil cogi posse, quod ad istam sententiam stabilendam faciat. In omnibus enim iudiciis, foris et tribunalibus Germaniae bibliotheca ad manus est; sed quis ex hoc colligat, ista vasta volumina vim legis habere? b) Deinde, quod maximum est, Maximiliani I. quod supra attigimus, odium iuris Romani et silentium omnium scriptorum, qui res gestas Maximiliani I. eiusque successoris Caroli V. litteris mandarunt, omnibus notum est. Quid? quod alii scriptores, et hi coaevi, qui res vel minutissimas saepe, qui genius erat

B 3

eius

a) In Origin. Iur. Germ. Cap. XXXIII.

b) Consentire videtur *Sam. Brunquellus* in hist. iur. p. m. 556. qui de hac re dissertationem *Hulderici ab Euben* citat, de auctoritate viisque iuris Iustiniani in Germaniae iudiciis, quam tamen videre nobis non licuit.

eius saeculi, posteritati tradiderunt, de hoc, quod illi tamen, ut cives imperii, ignorare nullo modo poterant, de tam graui re, plane obmutescunt. Taceo illud, quod, si per legem hoc peregrinum ius in Germania fuisset receptum, cessare debuissent reliqua iura, consuetudines et Specula. Atqui illorum yhus hodie adhuc durat, et, licet in terris Brunsvicensibus et Luneburgicis iuri Saxonico nuntius sit missus ab Henrico Iuniori, Duce Brunsvicensi, singularis tamen huius rei causa fuit, odium nempe in Lutherum et religionem ab eo restauratam c).

§. IX

Iam ad caput causae nostrae accessimus. Quodsi enim per legem non facta est ista iuris Romani receptio, quaeritur, qua tandem ratione factum sit, ut illud tam altas in Germania ageret radices, ut exstirpari vlo modo vix posse videretur? Fuere, qui hoc per ipsius praestantiam atque utilitatem singularem, quam miro modo extollunt, factum esse formiarent. Sed isti fere tales fuere, qui, omnia alia curantes, quam quae ipsis proxima, cives essent in Latio, hospites in patria; qui, inquam, nihil ratum certumque habentes, nisi quod Roma profectum, mores patrios et auitas consuetudines vocarent barbaras, cum tamen ipsi barbari esse studerent, moresque colerent peregrinos. Ridet eos ipse Heinricus a), iuris Romani strenuus defensor, quod, patria neglecta, omnem omnino peterent sapientiam ex iure Quiritario. Sunt, inquit ille, qui Epistoli filiilem coemerent lucernam, dummodo essent, qui decipere vellent. Qui ergo illud ius tantam vim tantumque valorem in foris nostris nauctum est? Supra iam ostendimus, antiquissimis temporibus in Germania iam ante Maximilianum I. ad ius Romanum fuisse provocatum, illudque fine vlla dubitatione per expeditiones Romanas, ita dictas, in patriam nostram irrepsisse. Omnis porro eruditio, omnis doctrina tunc temporis in Italia, maxime in schola Bononiensi, in scholis glossatorum et iuris Romani interpretum, iacuisse sepulta videtur. Hi vero sapientissimi scilicet legum interpretes, aulis Imperatorum et principum admoti, suo nutu atque oraculis omnia regebant imperii negotia. Sic Friderico I. Imperatori a confiliis

c) cf. Kappii Nachlese zur Reformation-Historie et Lutheri Opp.

a) In Praefat, ad Syntagm. Antiq. Rom.

hiis Baldus et Azo fuisse traduntur: Ludouicus Bauarus Imperator eiusdem generis homines adamauit: Bartholom, glossatorem illum iuris Romanii celeberrimum, Carolus IV. in deliciis habuisse, eiusque opera in bulla aurea conficienda vsus fuisse legitur. Venceslaus, Rupertus, Sigismundus, alii, istud genus hominum in rebus publicis consuluerunt. Qui cum responsa atque consilia sua omnia ex iure Romano, incisi iuris patrii, repeterent; quumque nullus id temporis reperiaretur, qui repugnaret melioraque doceret; quid itaque mirum, si magis magisque in dies creverit illius iuris auctoritas? In Academiis, circa illa tempora conditis, v. g. Viennensi et Erfurthenensi, saeculo XIV. institutis, a doctribus iuris, quibus a Pontifice Rom. iuris civilis atque canonici docendi potestas erat concessa, nihil aliud, praeterquam quod ipsis a glossatoribus accepterant, tradebatur. Multi ex his ipsis in aulas atque fora vocati, eiusdem iuris auctoritatem summo opere promovebant et confirmabant. Vnde venit, vt, quum numerus illorum in dies augeretur, Fridericus III. Imperator de diminuendis illis ac removendis plane a conciliis atque iudiciis, in comitiis Moguntinis, a. 1440. habitis, serio cogitaret.

§. X

Porro quaestio iam exoritur principalis, ius Germanicum vtrum sit primum, an secundarium adeoque subsidiarium? De hac re multum inter se disputant homines docti. Alii iuri Romano fauent, quod in decidendis causis publicis imperii adhibeatur; sed hanc opinionem iam refutauit Herrm. Conring. a) et Georg. Lautenfack b); licet nec horum opinioni ex omni parte calculum addere possumus, cum in negotiis imperialibus et illustrium virorum controversiis nonnunquam ius Romanum reperiatur. Exinde vero non sequitur, ius Romanum primarium esse, sed potius constitutiones imperatorias legesque imperii fundamentales. Quod ad priuata negotia attinet, quisque nobiscum consentit, in omnibus terris iura statutaria maximam auctoritatem habere, deinde adiri prouincialia iura, et, si in his nihil sancitum ad decidendas controversias, tunc ad commune ius Germanicum esse recurrentum, scilicet Speculum Saxonum

cum

a) In Origin, Germ. c. 32.

b) In diff. de inepta ratione decidendi controversias iuris publ. ex iure Rom, Erfurth, 1710. habita.


cum et Sueicum, et leges imperii viuierales. Addunt nonnulli ad ius Romanum tunc demum recurrentem esse, si in his res nondum decisae. Sed quam vagam doctrinam! ergo Romani ante tot laecula nostras consuetudines, contractus, cambia, feuda, iura rusticana et quotidianas negotiorum contentiones viderunt et indicarunt? Nos certe non possumus non assentiri viris illis doctissimis, qui, quamvis Romanorum fautores frement, uno ore contendunt, ius Romanum mere superfluum esse, et magis ad illustrandum, quam ad decidendum, nostris temporibus receptum,

§. XI

Nullo tempore, in primis inde a medio aeuo, laborauit Germania penuria legum, imo legum statutarum atque prouincialium benigna mater fuit: id quod probant tam yasta, quae nostra videt aetas, volumina, quae si omnia colligerentur, maiorem molem efficerent, quam Tribonianus videt in componendo corpore iuris. Cur igitur ius peregrinum, a moribus nostris plane alienum, edicimus, in sinu souemus, maximamque viatae partem in explicandis Pauli, Scæciolæ et Africani fragmentis confutimus? cum omnia fere, quae in iudiciis hodie occurunt, in nostris legibus reperiantur decisa. Nonne turpe est Germano viro, auxilium in veteri Latio et LL. XII. Tabb. querere, quod patria praebet? Accedit, quod iura ista peregrina nostros homines atque controversias rediderunt nihil prudentiores aut faciliores; quod usus quotidianus strepitusque forensis clamat. Felix erat patria laeculis superioribus, quibus praetorum iniquitas signorabantur, quibus fides Germana in paciis seruandis, omissis illis fallaciis, sanctum erat nostratis nomen, peregrina colluwie nondum conspurcata! Felix Germania, cum nullum licet bat conspicere rabulam, legulegum, iurium et legum peruersores! Nobis stra vero tempora si paullo diligentius consideres, omnia peruerfa videbis, nec fratrem a fratre, nec hospitem ab hospite tutum; exultat fides, saeuit quotidie lasciuia controversiarum libido, optimus quisque rapitur in ius, actor Romanum profert iniquum praetorem, pacta detorquet; strepitus vndeque, causidice latrant, opes fugiunt, nec adeat Apollo. O! si præsca rediret aetas, feliciora illa tempora, quibus, electo plane Romano iure, iniquo et noxio, nostris liceret viuere legibus!

Leipzig, Diss., 1768 RZ

X 241 7957



TATIO IVRIDICA
ONEM CONTINENS 203
NVM PER LEGEM PVBLICAM
ANIA SIT RECEPTVM 1768.59
QVAM 24
VM ORDINIS AVCTORITATE
AESIDE
TTLIEB ZOLLER
ATHEDR. MARTIS B. CAPIT.
CIA SVPREMAE, IVDIC. LVSAT.
ON FACVLT. IVRID. ASSESS.
DEM. DECEMVIR.
ORIO ICTORVM
R. A. CIO IO CC LXVIII
FENDET
AVCTOR
GOTTHOLD VIBIG
VIA MISNICVS
PSIAE
INA LOEPERIA

B.I.G.